



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

117. An votum disjunctivum Religionis, vel perfectæ castitatis sit per
Bullam Cruciatæ, vel lubilæum dispensabile? Ex p. 11. tr. 7. & Misc. 7. res.
17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

propositum. Ergo, cum votum in ratione voti remaneat cum eadem imperfectione, quam habebat ante electionem, & cum eadem mixtione materiae, erit dispensabile, & commutabile, sicut erat ante electionem. Haec omnia Pasqualigus, ex quibus patet responsio ad argumentum Magistri Gallego.

8. Nota hic obiter votum castitatis metu leui emissum, posse commutari virtute Cruciatæ, & Iubilæi. Ita me citato Pasqualigus *decis. 302. num. 4.* & me citato Quintanadueñas *num. 14.* & me citato Escobar *probl. 89. num. 730.* & me citato Mendo *num. 113.* & me citato Leander *de Sacrament. tom. 1. tractat. 5. disputat. 14. quæst. 107.*

Sup. hoc sup. in Ref. 94. & inf. in Ref. 119. §. vic. & inferius in tr. 4. Ref. 17.

RESOL. CXVII.

An votum disunctiuum Religionis, vel perfecta Castitatis sit per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum dispensabile?
Ex p. 1. tract. 7. & Misc. 7. Ref. 17.

Dixit in Resolutionibus que hic sunt supra 114. 115. & 116. hoc, & inf. in Res. seq. eius not. 2.

§. 1. DE votis disunctiuis, quando vna pars est reseruata, & alia non, ego plura dixi in *tract. de Bulla Cruciatæ*, & nouissimè me citato dixit Leander *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disputat. 14. quæst. 112. cum sequenti.* Sed difficultas est in casu proposito, nam vtraque pars voti reseruata est, & hoc non obstante affirmatiuè respondet Pater Pasqualigus in *praxi de Iubilæo quæst. 301. num. 3.* vbi sic ait, Votum alternatiuum antequam fiat electio vnius partis, non est perfectum, & completum, quia nondum est de materia determinata, sed determinanda: vnde est sufficiens: vt inferre possit executionem; ergo nondum est votum complete emissum, sed est veluti adhuc in fieri, quia debet determinari ad alteram partem, vt possit executioni mandari, & proinde non venit nomine voti strictè saltem accepti, quia vt notat Menochius *consil. 133. num. 12.* Actus, qui perfectionem non habet, & est adhuc in fieri, non meretur nomen actus. Et ideo non continebitur sub reseruatione; quia cum reseruatio sit strictè accipienda, se extendit solum ad vota strictè accepta, & cum proprietate.

2. Confirmatur secundo: votum alternatiuum habet tacitam conditionem respectu vtriusque partis, si vouens illam eligat, & proinde ante electionem neque ad vnam, neque ad aliam partem obligat, sed solum de præsentibus obligat ad eligendam vnam, aut alteram partem. Ergo non est votum reseruatum, quia neque est determinatè votum obligandi se mediante electione, aut ad religionem, aut ad castitatem. Reseruatio autem cadit solum supra vota, quæ sunt determinatè de castitate, aut de Religione. Ita Pasqualigus.

3. Sed vt verum fatear, dum hanc opinionem legi, mihi non placuit, & postea de illa interrogatus negatiuè respondi, fretus auctoritate Sanchez, Suarez, & Ludouici de la Cruz, nunc verò inuenio illam reprobare Patrem Bardi in *selectis lib. 5. quæstione 12. numero 36.* vbi sic ait; Dicendum est cum hac secunda sententia, quam puto certam: nam prior illam quam tueretur Pasqualigus non videtur solido fundamento inniti, vt mox ex solutione eius argumenti patebit, probari potest nostra conclusio, eam rationem (qua vtuntur Authores citati) aliquando fustus ampliando, tali pacto: quoties tota materia voti est reseruata toties votum ipsum est reseruatum: Sed votum disunctiuum, de quo agimus, ex suppositione habet totam materiam reseruata, ergo votum disunctiuum, de quo agimus, est reseruatum: per consequens commutari non poterit virtute Iubilæi, probatur maior; nam votum recepit reseruationem, aut ne-

gotationem eiusdem à materia circa quam reseruatur, vnde si materia erit reseruata, ipsum quoque reseruatum erit.

4. Ad argumentum ex Pasqualigo deductum, respondetur negando antecedens, in quo dicebatur votum disunctiuum habens vtramque partem suæ materiæ reseruata, non esse reseruatum: ad eius probationem cum distinctione est procedendum, vt omnis æquiuocatio tollatur: cum enim dicitur tale votum disunctiuum esse imperfectum, si per imperfectionem intelligatur indeterminatio quoad talem materiam particularem, & in specie, concedo quod sit imperfectum: si verò intelligatur imperfectio, seu indeterminatio quoad materiam reseruata, vt sic & in genere negatur. Votum igitur istud quoad materiam reseruata, est omnino perfectum, & determinatum, quia procedit à voluntate omnino determinata, nam voluntas nullam habet indifferentiam in ordine ad materiam reseruata, quamuis indeterminata sit in ordine ad electionem huius, vel alterius partis materiæ reseruata, potè non apparere cur votum ad hoc vt sit determinatum & reseruatum, debeat esse de materia reseruata in specie, & non in genere, & debeat procedere à voluntate determinata ad materiam specificam, & non genericam, nam & ipsa quoque materia generica suam habet determinationem, & per consequens sufficiens erit ad inducendam reseruationem in votum.

5. Ad confirmationem concedo in voto alternatiuo implicite contineri conditionem respectu vtriusque partis, quatenus vouens manet sua in libertate ad eligendam potiùs vnam, quam alteram partem: ex hoc verò non sequitur tale votum non esse reseruatum si tota materia est reseruata, & vouens eligendo necessitatur materiam reseruata eligere, neque ex tali libertate vouentis sequitur quòd votum sit imperfectum & indeterminatum. Hac Bardi; vnde puto non esse recedendum ab hac negatiua sententia, nec posse Confessarium virtute Bullæ aut Iubilæi in voto sic emisso dispensare, & ita senserunt aliqui ministri huius Curia Romanæ; & de hac difficultate à me interrogati.

RESOL. CXVIII.

An Confessarius possit commutare per Bullam Cruciatæ votum disunctiuum, modo quo supra diximus, quando materia non reseruata effecta est impossibilis, ita vt vouens nequeat partem non reseruata adimplere, sed tantum partem reseruata? Ex p. 1. tract. 11. Ref. 74.

§. 1. ET ita erit casus. Emissit, v. g. aliquis votum castitatis, seu peregrinandi ad aliquam Ecclesiam B. Virginis, vel dandi centum aureos alicui Hospitanti: postea ex morbo non potest peregrinari, vel amittit matrimonium; & ideo materia voti non reseruata effecta est impossibilis, & remanet possibilis materia voti reseruata petitur in tali casu possitne Confessarius virtute Bullæ hoc votum commutare. Negatiuam sententiam docuit Bonac *tract. de legib. disp. 4. q. 2. punct. 7. n. 18.* quia materia illa verè est reseruata, & est adimpleta ex vi voti.

2. Sed contrariam sententiam affirmandam esse puto, quam docet Suar. *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 24. n. 4.* & Sanchez in *sim. lib. 4. c. 40. n. 44.* Et ratio est: quia tale votum per se, & ex natura sua nunquam obligauit vouentem ad partem reseruata: sed postmodum obligatio ad illam oritur per accidens ex solo facto, & impossibilitate alterius materiæ non reseruata: vnde patet responsio ad argumentum Bonacinae; dicimus enim materiam illam esse reseruata per accidens ob impossibilitatem materiæ, non autem ex vi voti.

RESOL.